



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1709. usque ad annum 1714

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1782

VD18 90119266

§. 40. Ejusdem Cardinalis vita & gesta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67615)

Sæc. XVIII. „instrumentum. Ego Dominicus An-
A. C. 1710. „tonius Marchini fui præfens ad omnia
 „supradiçta, ac testor &c. in quorum
 „&c. hanc præsentem copiam extraxi
 „&c. & mea subscriptione, ac signo
 „munivi &c.

§. XL.

Ejusdem Cardinalis vita & gesta.

Maill. orat.
Funebr.
Guarnacc.
l. c.

Natus erat Carolus Thomas Maillard
 de Turnon Taurini ex nobilissimo
 ac pervetusto illius civitatis genere die
 vigesima prima Decembris anno Christi
 millesimo sexcentesimo sexagesimo octa-
 vo. Prædecessorem habuit ex eadem
 familia celeberrimum Cardinalem &
 S. Collegii Decanum Franciscum de
 Turnon, qui Sæculo XVI. maxime in
 Ecclesia floruit. Carolus vero emenso
 Taurini studiorum curriculo, utrius-
 que jurisprudentiæ lauream emeritus,
 Balthasaris Cencii Præfulis egregii, at-
 que Avenionensis Pro - Legati Niceam
 profugi amicitia & familiaritate ute-
 batur, & demum Sacerdos factus Ro-
 mæ ab eodem in Assessorem, ac labo-
 rum socium seligebatur. Eminuit jam-
 tum singularis prudentiæ ac pietatis
 laude, præclaraque suæ scientiæ speci-
 mina sæpius exhibuit; non raro enim
 literariis cætibus adscriptus præsertim
 Colle

Collegio Propagandæ fidei in illis mira Sæc. XVIII.
 eruditione differuit de arduis S. Cano- A. C. 1710.
 num & Conciliorum quæstionibus: qua-
 propter ab Innocentio XII. ejus doctrinæ
 fama permoto in honorarium primo Cu-
 bicularium, postea Doctrinæ Christianæ
 Præfectum nominabatur: Postquam
 vero Clemens XI. perceperat, Chri-
 stiani nominis primordia in spem uber-
 rimæ segetis subolescentia in Sinensium
 Imperio, atque Indiarum plagis Diaboli
 dolis & artibus necnon Missionariorum
 diffidiis attentari, huicque malo haud
 efficacius prospici posse censeret, nisi
 ut Vir auctoritate pollens, ad extre-
 mas hasce plagas mitteretur, qui ex-
 ploratis hujus gentis ritibus, moribus-
 que depravata emendaret, turbas ex-
 tingeret, & prædicandi Evangelii ex-
 planatam Regulam proponeret: hinc
 ad arduum hoc ministerium selegit Ca-
 rolum, eumque Patriarchæ Antiocheni
 dignitate decoratum, necnon Legati
 a Latere, & Visitatoris Apostolici fa-
 cultate munitum unacum decenti alio-
 rum Sacerdotum & Missionariorum co-
 mitatu in hasce terras ablegavit. Die
 igitur quarta Julii anno hujus sæculi
 secundo Carolus longinquum, plenum-
 que discriminis iter arripuit. Vix por-
 tum Genuensem reliquerat, cum im-
 muta repente maris fides, disturbatus-
 que

Sæc. XVIII. que procellis aer, & furentium Austro-
 A C. 1710. rum violentia nil propius, quam nau-
 fragium exitiumque in singula momenta
 minitarentur; palpitabant pavore sin-
 gulorum corda, relicta pene nulla salutis
 fiducia: solus Turnonius conclamans
 ceterorum salute sese Christianis præ-
 sidiis ad omnem casum præmuniens
 sacrosanctæ Crucis signum furentibus
 maris fluctibus objecit, moxque tem-
 pestatis violentia concidit. Inter plura
 alia navigationis incommoda & per-
 cula, ubi ad Insulas fortunatas appu-
 lit, in gravem morbum incidit, cuius
 pertinacia diutissime vexatus, sæpe a
 selectis viribus decumbere coactus est
 sæpius etiam a suis rogatus, ut ad
 illud, appelleret, constanter recusavit
 asserens, se non ad reparandam vale-
 tudinem, sed ad populorum salutem
 missum esse, nihilque interesse, ubi eum
 mori oporteret, dummodo pro Christo
 ejusque legatione mori contingeret.
 Nec unquam e navi descendit, nisi
 vel navigationis necessitas, vel Evan-
 gelicæ segetis spes cura que deposceret
 sic ad oras Ponticherii & Coroman-
 delæ appulsus, miseris hæc gentes
 eloquio pavit Evangelico, publicos de
 Christo Cruci affixo sermones habuit
 Sacramenta administravit, sui que ite-
 neris socios & nautas, languentes
 mot

Sæc. XVIII.
A. C. 1710.

morboque pressos, atque infesti itineris
 pertæsos in spem erexit, sacramentis re-
 fecit, Zeloque Religionis, suoque exem-
 plo solatus est. Tandem postquam per
 integrum biennium & amplius perfido
 mari incubuerat, Sinensi litori appu-
 lit, ac Peckinum Imperii Metropolin
 contendit, ubi ab Imperatore & Ma-
 gistratibus summo quidem honore ex-
 ceptus est, quamprimum vero superstitio-
 sos Sinensium Ritus detestatus, Man-
 darinos, Regios Ministros, & Rituum
 horum Assertores reprehenderat, mox
 fraudulenta Aulæ benignitas in viru-
 lenta odia degeneravit, ac Turnonius
 Regi, Missionariis Rituum Patronis,
 populoque invisus haberi cæpit: Hæc
 erat unica tot laborum atque ærumna-
 rum, ac denique mortis causa: Enim
 vero ex Sinensium Imperio plurima in
 Europam volitabant scripta, in quibus
 per summam calumniam Jesuitis impu-
 tabatur, quod Maigrotum Sinis expu-
 lerint, Imperatorem dolis malisque ar-
 tibus & calumniis, ut ipsi soli impune
 in Aula versari, & rituum usum pro-
 movere possent, ad expellendos cete-
 ros Missionarios impulerint, & Tur-
 nonium horrendis vexationibus, imo
 propinato etiam veneno e medio sustu-
 lerint: Postquam vero Tamburinus su-
 premus Societatis Præpositus plures ex
 Sinen-

Sæc. XVIII. Sinensium Imperio literas a suis rece-
A. C. 1710. perat, anno priori *relationem eorum,*
quæ circa Turnonium Sinis acta fuissent,
 vulgari curavit, in qua Author anonymus inter alia refert, quam comites
 ac liberaliter Turnonius ab Imperatore
 ejus Filiis, Mandarinis & præcipuis
 Aulæ Ministris fuerit exceptus: im-
 prosperum tamen legationis successum
 atque accisam propagandæ fidei speram
 in ipsum Turnonium rejicit, I. quia
 parum fiduciæ in Jesuitis reposuit, cum
 tamen illi soli essent, quibus Aulæ Si-
 nensis arcana, & res tractandi metho-
 dus cognita fuisset, II. quia omnium
 Missionum generalem Præpositum ab
 Imperatore petiit, repulsæ vero causam
 Turnonius Jesuitarum artibus co-
 ram Mandarinis, indignante Impera-
 tore attribuit, III. quia Maigrotum
 Aulæ infestum tanquam Conciliatorem
 inter Papam & Imperatorem Peckini
 reliquit, IV. quia pro Missionariis a
 Papa missis Peckini domum erigi pe-
 tiit, inde vero in Imperatore suspicio-
 nem auxit, V. quia Bouveto Jesuitæ
 munera ad Papam deferre inhibuit.
 Tandem Author suam relationem ab-
 solvit his verbis: *cuncta hæc infausta fata*
contulere haud parum ad diminuendam Re-
ligionis Christianæ auctoritatem, & ad
alienandum animum Imperatoris antehac
 erga

erga eam sat propensum: E contrario Jesuitarum submissio & patientia universæ Aulæ cognita omnium admirationem in se rapuit, & omnibus luculento est exemplo; ipsemet etiam Imperator sæpe eos tanquam **HOMINES SIMPLICES** redarguit, eo quod pro illis, quos tam acre odium in eos exercere cernerent, intercedere, suisque precibus Imperatorem fatigare non cessarent. Hæc ille, nobis autem persuasum est, fidem veritatemque magis constare relationibus eorum, quæ Clementis XI. summi Pontificis, ipsius Turnonii aliorumque in hisce terris diu agentium testimoniis comprobatæ existunt; ea propter orationem summi Pontificis ad Cardinales habitam, necnon Bullam ab eo die decima quinta Martii editam integra fide nostræ Historiæ inferendam censuimus.

§. XLI.

Oratio Clementis XI. in secreto Patrum Senatu circa Turnonii mortem habita.

Postquam gloriosa Turnonii Cardinalis mors Romæ innotuerat, Clemens XI. summus Pontifex intimo dolore percussus, in ipso Pontificio Sacello justa funebria eidem tanquam eximio fidei Catholicæ Athletæ &

Sæc. XVIII.
A. C. 1710.